



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

**Lvitprandi Ticinensis Diaconi Opusculvm, De Vitis  
Romanorvm Pontificvm**

**Liutprandus <Cremonensis>**

**Mogvntiae, 1602**

LXXXII.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-11115**

autem sanctus Agatho ad B. Petrum Apostolum 4. Idus Ianuar. Et cessauit Episcopatus anno 1. mensibus 7. diebus 5.

## LXXXII.

**L**E o iunior, natione Siculus, de patre Paulo, sedit mensibus 10. diebus 17. Hic fuit eloquentissimus, in diuinis Scripturis suffi- ciente institutus, græca latinaq; lingua eruditus, cantilena ac psal- modia præcipuuſ, & in earum sensibus subtilissima exercitatione limatus. Hic fuscipiens sanctam 6. Synodum, quæ in regia vrbe acta fuerat sub Constantino Principe à duobus Patriarchis, Constanti- nopolitano & Antiocheno atq; 150. Episcopis, eam studiosissimè de græco in latinum transtulit. Qui etiam damnatis aliis hæreticis duos tantum absoluit, id est, Anastasium presbyterum, & Leontium diaconum in die sancto Theophaniæ exponentes per propria scri- pta fidem suam, iuxta quod sancta Synodus determinauit. Huius temporibus percurrente diuali iussione piissimi Principis restituta est Ecclesia Rauennatis sub ordinatione Apostolicæ sedis, vt de- functo Archiepiscopo electus ad ciuitatem Romanam veniat or- dinandus. & constituit, quid soluere debeat pro vſu pallii, aut di- uersis Ecclesiæ officiis. Sed & ne Mauri quondam Episcopi anni- ueritas aut Agenda celebretur, nec non typum autocephaliæ, quæ sibi elicuerant ad amputanda scandala sedis Apostolicæ restitue- runt. Eiusdem quoque temporibus Luna Eclypsin pertulit die 15. mensis Aprilis, indictione 11. Post coenam Domini nocte pœne to- ta in sanguinem versa. Qui etiam sepultus est ad B. Betrum Apo- stolum, sub die 5. Nonas Iulias. Et cessauit Episcopatus menses 11. dies 22.

## LXXXIII.

**B**ENEDICTVS iunior, natione Romanus, patre Ioanne, sedit menses 10. dies 12. Hic à puerili aetate in scripturis & cantilena doctissimus & benignus, suscepit diuales iussiones Constantini ma- gni Principis ad venerabilem clerum & populum, atq; felicissimū exercitum Romanæ ciuitatis, per quas concessit, vt qui electus fue- rit in Sede Apostolica euestigio absque tarditate Episcopus ordi- netur. Hic vna cum clero & exercitu suscepit mallones capillorū Domini Iustini & Heraclii filiorum clementissimi Principis. Quo tempore apparuit stella noctu veluti luna sub nube inter natalem Domini & Theophaniam. Item prope exitum mensis Februarii in die ab